

Die beiden obengenannten Editionen sind von grösster Wichtigkeit für die Geschichte der Jahre 1355-1378 nicht nur Böhmens und Mährens, sondern auch derjenigen Länder, die damals zum Reiche Karls IV. gehörten. Auch für die Ordensgeschichte sind sie von Bedeutung. Man findet hier viele Quellen — besonders in den *Monumenta Vaticana* — aus den päpstlichen Registern des Vatikanischen Archivs, welche umso wertvoller sind, da wegen der Vernichtung vieler Klosterarchive im Laufe des 15. und 16. Jahrhunderts das Material über die eigenen inneren Ordensangelegenheiten nur spärlich erhalten ist. Die hier abgedruckten Quellen sind besonders für die Besetzung der einzelnen Abteien in der Zeit der Päpste von Avignon wichtig. Manches vermag der Ergänzung einiger Angaben im *Monasticon Praemonstratense* von N. Backmund zu dienen.

Es wäre sicher wünschenswert, dass nicht nur der V. Band der *Regesta Bohemiae et Moraviae* bald erschiene, sondern auch der in Angriff genommene VII. Band vollendet werde. Desgleichen auch die Fortsetzung der *Monumenta Vaticana*, da dieselbe neue Quellen für die Ordensgeschichte in der Zeit des Hussitentums erschliessen würde. Aus dem Vatikanischen Archiv wurde hierfür bereits viel Material zusammengetragen, besonders für die Jahre 1404-1417. Die Herausgabe dieses Materials im VI. Band der *Monumenta* war Bedrich Jenovsky, der im 2. Weltkriege starb, nicht mehr vergönnt.

Dr. Karel DOLISTA.

Conradus a Marburg et Ordo Praemonstratensis.

Conradus a Marburg, natus versus finem saeculi duodecimi, occisus anno 1233, die 30 Julii, in historia ecclesiastica Medii Aevi locum celebrem obtinuit. Praedicator fuit Cruciatæ, Inquisitor, Confessarius S. Elisabeth de Thuringen. Summus Pontifex Gregorius IX ipsum summa cum fiducia semper prosecutus est.

Qualis vero erat ipsius status ecclesiasticus? F. ZOEPFL in *Lexicon für Theologie und Kirche*, VI (1934) 147 scribit: « Inquisitor, stammte aus einer Marburger Burgmannenfamilie, war Weltgeistlicher der Diöz. Mainz, Pariser (?) Magister, gut gebildet, selbstlos und unerbittlich streng gegen sich wie gegen andere ».

* * *

In *Hessisches Jahrbuch für Landesgeschichte*, Bd. I, 1951, Karl

Hermann MAY, pp. 87-109, plurima edit « *Zur Geschichte Konrads von Marburg* », in quibus plura Praemonstratensia notantur.

Inquirendo varia Necrologia, sequentia invenit:

In Necrologio de Arnstein, O. Praem., edito anno 1881 a Becker, legitur p. 146: « magistri Conradi, fratris nostri in Martburck ». In Necrologio Rommersdorfensi (ms. 71 in Nassauischen Landesbibliothek in Wiesbaden, ed. 1882 a J. Wegeler): « magistri Conradi de Marpurg, et fratris Gerhardi de ordine Minorum » (p. 96).

In Necrologio vero de Haina (O. Cist.): « Conradus de Marburg ». In Necrologiis Ordinis equestris Germaniae: ms. Bern, ed. a Perlbach anno 1877: « obiit frater Chun(radus) magister occisus pro fide » (p. 362). ms. Boruss. 8 nr. 1 (Berolini: « obiit magister Con. VIII us. »).

* * *

Auctores antiqui nequaquam concordant in assignando statu ecclesiastico Conradi nostri.

Trithemius, Annales Hirsaugienses, dicit Conradum pertinuisse ad Ordinem fratrum Praedicatorum. (manifesta confusio inter « praedicatorem verbi Dei » et Ordinem fratrum Praedicatorum).

Alii dicebant ipsum pertinuisse ad Ordinem fratrum Minorum S. Francisci. Forte ideo quod habitudinem religiosam tam intimam habuit cum S. Elisabeth, quae tertiaria erat Ordinis Franciscani.

Juxta alios tandem, Conradus pertinuisset ad clerum saecularem. Quae opinio non parum suffragatur, ex eo quod in antiqua vita sanctae Elisabeth, Conradus revera dicitur « presbiter secularis ; sacerdos praedictus ; ille praedicator secularis magister Conradus » (Staatsarch. Koblenz, Abt. 107, Nr. 122).

Res uti decisa admitti posset, si ea quae habentur in necrologio de Arnstein, O. Praem., omni ambiguitate essent destituta. Legitur siquidem in hoc necrologio ad diem 30 Julii: « Magistri Conradi, fratris nostri in Martburck ».

Quid autem significat « frater noster » in Necrologio illo Arnsteinensi ? Examen accuratum huius necrologii ostendit canonicos Arnsteinenses hoc nomine « fratris » designari, etiam si unam alteramve functionem assumpserant, munere abbatiali non excluso.

Pertinuitne ergo Conradus vere et plene ad Ordinem nostrum ; vel eratne simpliciter « frater ad succurrendum » seu laicus aut presbyter qui, qua socii spirituales communitatis, habitum Ordinis

interdum assumebant, et bonorum spiritualium communitatis participes erant ?

Alia hypothesis est haec: Conradus vere per aliquod tempus ad Ordinem nostrum pertinuit; ad ministerium extra Abbatiam missus est. Postea vero transiit ad alium Ordinem aut ad clerum saecularem.

Quae omnia, uti patet, ordinem hypotheticum non excedunt.

* * *

Facta vero nonnulla habentur, quae ostendunt Conradum a Marburg certo relationes arctas cum Ordine nostro habuisse.

Constat S. Norbertum valide fidem rectam defendisse contra sectas haereticas; Antverpiae sectam Tanchelmi profligaverat; qua occasione fratres suos reliquit Antverpiae, qui ibidem abbatiam sine mora erigere potuerunt. Constat ulterius Praemonstratenses in regionibus circa Rhenum strenue sese opposuisse sectis haereticis. Praepositus Steinfeldensis, Evervinus in hac pugna spirituali eminebat. Praemonstratenses in Germania, praeunte Sancto Fundatore, erant zelosi praedicatores verbi Dei. Norberto ipsi licentia praedicandi a Papa Gelasio concessa erat (quod, in genere non erat concessum Cisterciensibus). Duo Abbates de Rommersdorf, Rainerus (1201-1214), qui mortuus est in aquis Rheni, die 11 Septembris 1214; eiusque successor Bruno (1214-1236) ab Innocentio III et Honorio III uti praedicatores Cruciatæ designati fuerunt. Exinde mirum non est, epistolam a Conrado Marburgensi conscriptam, et quidem Summo Pontifici Gregorio IX directam (quae quidem est unica epistola Conradi, quae ad nos pervenit) servatam esse in Bullario Rommersdorfensi (cfr. F. KEMPF, *Das Rommersdorfer Briefbuch des 13. Jahrhunderts*, 1903, p. 502 ss.).

Notum est praeterea Conradum rigidum ac severum sese exhibuisse erga semetipsum et alios (etiam erga S. Elisabeth); similia deprehenduntur apud plures Praemonstratenses in Germania illo saeculo, ita apud praepositum Evermodum in Gratia Dei.

Conradus affinis erat multis familiis nobilibus Germaniae; idem dici debet de pluribus fundatoribus monasteriorum Praemonstratensium in Germania eadem aetate.

Conradus Summum Pontificem monuit de miraculis quae accidebant ad sepulcrum S. Elisabeth. Simul cum ipso de eadem rescribunt Summo Pontifici abbates Praemonstratenses de Rommers-

dorf, Arnstein, Spieskappel. S. Elisabeth filiam suam Gertrudem commisit monasterio Praemonstratensi de Altenberg ; quod factum videtur incitante Conrado Marburgensi. Conradus ulterius per aliquod tempus voluerat et ipsam S. Elisabeth in monasterium Altenbergense, qua religiosam, ingredi.

Praepositus de Ursberg, Burchardus, Praemonstratensis, refert Conradum jam sub Innocentio III praedicatorem fuisse Cruciatae. Nullus alius fons antiquus hoc refert ; ex quo sequitur Praemonstratensem Burchardum apprime novisse ea quae in vita Conradi acciderant. Notari insuper potest Conradum prima vice munus suum Inquisitoris exercuisse in casu Praemonstratensis, Henrici Minneke (1222-1224).

Non longe a civitate Marburgensi situm erat monasterium Praemonstratense de Hachborn, fundatum ab Arnstein ; comites de Thuringen, cum quibus Conradus frequentes relationes habebat, foverant monasterium de Arnstein.

Conradus noster Marburgensis pertinuisse videtur ad familiam de Marburg-Bicken et de Merenberg. Quae familiae suam benevolentiam specialem exhibuerunt erga monasterium Praemonstratense de Arnstein et Ordinem Praemonstratensem donationibus insignibus dotaverunt annis 1163 et 1186.

* * *

Haec omnia sane sunt solummodo indicia ; non sunt argumenta quae vere probant famosum illum Conradum ad Ordinem nostrum pertinuisse. Coincidentia tamen mira illorum indiciorum ex altera parte negari non potest. Constat ergo videtur illum qui in necrologio de Arnstein dicitur : « Magister Conradus, frater noster in Martburck », relationes frequentes, immo intimas habuisse cum domibus et personis pluribus ad Ordinem nostrum pertinentibus.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.